

LESEN
124



Cc 432

1) Kuesbeck, Thomsen, Hengo
et Latinius

nebst 24 - 18]

Cc 432^a (1-21)

PKC

CADEMIÆ

o

Jeremias Tschonder
Zeugnis...

21

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page, appearing as faint, mirrored script.

RECTOR ET SENATORES ACADEMIÆ
Francofurtanæ Lectori benevolo

Salutem.



Vod ultra decennium in Academia nostra versatus promeruit vitæ laudabiliter actæ testimonium vir doctissimus M. Jeremias Tschonderus Uratislaviensis Silesius, id nunc digressurus aliò sibi à nobis impartiri petiit: cui petitioni ut ultrò daremus locum, impetravit honestas & rerum veritas. Nam cum Anno Christi 1599. die 27 Aprilis huc esset adpulsus, & in studioforum numerum cooptatus; mox prono gradu acceleravit ad eruditionem solidiorem; & quemadmodum à natura ingenium acre, vegetumq; adeptus est, sic magna animi contentione, assiduitate & industria ad natura dona augenda atq; illustranda incubuit. Et quoniam Philosophiæ studiis imbui voluit, priusquam ad Sacra, quibus se devovit, totus abiret; privatim quidem M. Calebum Trygophorum Professore Logices, publicè autem non illum tantum, sed alios etiam Professores docentes sedulo & maximo cum fructu audiit: adeò ut Anno 1603. die 13. Octobris Decanus Ordinis Philosophici M. Christophorus Neander Professor Ethicus Magistræ gradum ipsi tribueret. Inde per triennium feliciter alios docuit illa, quæ ab aliis fideliter didicerat: ac publicè quidem duodecies, privatim autem sæpius, in arenam philosophicam animosè descendit, & eruditè decertavit. Neq; verò oblitus est scopi, quem sibi proposuit, sed ad studia Theologica identidem recurrit; non solum audiendo publicè ac privatim docentes, verum etiam concionando multoties sese exercens, & ad docendi munus preparans, ad quod literarum mansuetiorum presidio instructus nunc anhelat. Expertus interea est, verum esse illud Basilij; ἐξ ιδρώτων σαρκείων. Nam, cum Tschonderi industria Amplissimo Senatu Uratislaviensi innotuisset: intercedentibus Dn. Jacobo Reichelto Senatore spectatissimo, & viro nobili atq; excellentissimo Dn. D. Christophoro Henschero Syndico eiusdem Reipublicæ clarissimo, ipsius conatus sumptibus adjuvit, ut studiorum iter ad optatum finem commodius posset perducere. Idem Dn. D. Henscherus eum postea commendavit Illustri & Generoso Domino Dn. Joachimo Malzanio L. Baroni à VVartenberg & Pentzlin in Militzsch, &c. S. Casar. Maj. Consiliario; qui Filios suos ipsius informationi & fidei credidit. Proinde licet Tschonderus hic, quocunq; tandem locorum perventurus est, à doctrina, humanitate, & integritate sese coram commendare ipse queat, nec aliena commendatione indigeat: quia tamen commendatione nostrà se gratiosiore fore apud alios arbitratus est: Viros bonos amicè rogatos volumus, ut favorem ne denegent, sed studium suum dicent tali viro, qui favore & studio maxime est dignus; idq; rogaremus pluribus, ni certum nobis foret, apud homines cordatos satis commendari illos, quorum monstrantur virtutes. Atq; hoc nostrum testimonium sigilli nostri adpensione munitum scientes confirmavimus. Datum Francofurti cis Viadrum. 3. Jd. Octobris Anno Christi 1609.

RECTOR ET SENATORES ACADEMIAE

Francoburgensi Saxonibenevolo

Salutem

Modo hinc decernimus in Academia nostra

... hinc decernimus in Academia nostra ...



... hinc decernimus in Academia nostra ...

Jeremias Tschander
Zeugniss...



RECTOR A ET

Joann. de Franconia

...

Vod ultra decem

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...


...

...

...







Farbkarte #13

B.I.G.



MIAE

lias Tschonder
mis...

21

[Faint, illegible text from the reverse side of the page]

